

## V.

Arrhæ, quæ a sponso sponsæ dantur, sponsalitiæ dicuntur, *l. 16. C. de Episc. audient.* Item simpliciter sponsalitia, *in rubr. C. Si Reçt. provinc. vel ad eum pertinentes Sponsalitia dederint.* vel Sponsalia, *rubr. C. Theod. d. t.* Quæ interventu Proxenetæ dantur, (nuptiæ enim non facile nisi per interpretes, quos Græci proxenetæ appellant, expediuntur. *l. ult. ff. de spons. Cujac. lib. 11. obs. 18.*) Proxenetice vocantur; eo quod Proxenetæ illas sponsarum nomine, ipsisq; deferendas accipiant. *Strach. tr. de Proxen. part. 1. num. 24. Conan. libr. 8. Comment. jur. civil. cap. 2.* Et quia olim ut plurimum annulus Arrhæ nomine dabatur, etiam Annulus Fidei appellatur, *in c. nostrates, 30. quest. 5.*

## VI.

Arrha Græcis dicitur ἀρραβὼν. Germanis, **Haffgelt/Hafftpfenning/Würtemb. Landr. part. 2. tit. 9. §. doch wa ein Arrha.** a firmitate, vom **Haffen.** *Befold. delib. jur. ex lib. 18. quest. 6.* Item **Handgiffte/Rittershus. ad pr. Instit. de Empt. & vend. Dingpfenning;** *Oldend. class. 4. act. 1. Speidel. in notab. voce Haffgelder.* *Wehner. observ. pract. ead. voc. a verbo Dingens;* quod proprie idem significat, quod pacisci. *vid. Ord. Camer. part. 1. tit. 16. §. vnd nachdem. in fin. Leykauff;* *Rittershus. d. loc.* Sic in Reformatione Decanatus Bamberg. *de Anno 1463. art. 40.* etiam Arrha sponsalitia hoc vocabulo denotatur; dum dicitur: *das die Official vnd geistliche Richter in causis matrimonialibus den Leykauff oder arrham nicht für sich nehmen / sondern dem Fisco der Dombdechanny zuwenden sollen.* *Wehn. obs. pract. voce, Weinkauff.* quamvis hoc vocabulo aliis in locis bibales veniant, *der Weinkauff.* *Wehner. d. l. Befold. delib. 18. q. 6. Würtemb. Landr p. 2. t. 16. §. wir setzen. pag. 295. Gottespfenning;* *in Stat. Hamburg. part. 2. tit. 8. §. 10. Lubecens. lib. 3. tit. 6. art. 6. ibi: wan einer auff gethanen Kauff/te. den Gottespfenning oder arrham gibet/te.* Licet enim hoc vocabulum proprie illud denotet, quod olim contrahentes ex pietate in res erogabant sacras vel pauperes, & ab arrha omnino differt.